

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

Ignau. Emblema LXXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Ignavi.

EMBLEMA LXXXIV.



**I**GNAVI Ardeolam stellarum effingere serui  
 Et studia, & mores, fabula prisca fuit:  
 Quae famulum Asteriam volueris sumpsisse figuram  
 Est commenta: fides sit penes historicos.  
 Degener hic veluti qui ceuet in aere Falco est,  
 Dictus ab antiquis vatibus Ardelio.

## COMMENTARI I.

- I.** IN aere apparet avis ardea, vncis vnguib-  
 bus & rostro, expansis alis volanti simi-  
 lis: sub qua iuuenis pennis vestitus discar-  
 rit, qui brachiorum loco alas ardeae su-  
 stinet.
- II.** EMBLEMATIS fons peti potest ex  
 loco Aristotelis, qui est lib. 9. cap. 18. de hi-  
 stor. animal. cuius haec sunt verba: Sed stel-  
 laris *ἄστρος*, id est, piger cognominatus in  
 fabula est, ut olim e seruo in avem trāsie-  
 rit, atq; (vt cognomen sonat) iners ociosa-  
 que est: talis ardeolarum vita est. Hec ille:  
 Tetigit non nihil Pausanias in Phocicis: Au-  
 gures, inquit, & avem *ἀρδελίον* appellant, quae  
 inter ardeolas & maxima est, & pulcherri-  
 ma. In vetere igitur fabula inductus erat  
 seruus quidam fatuus, & nihil non satagens,  
 qui asteriae vel ardeolae stellarum figuram  
 repraesentaret, vt mores & conatus ardelio  
 num exprimeret. Hi quotquot sunt, satis  
 mouent

II.  
 Fons Em-  
 blematis.

movent sese, nihil tamē promolient, nihilque agunt, sed tantum fatagunt, idque admodum adulterini & degeneris falconis, qui cit tantum ceuentis in aere morus. Talem describit Attalum Martialis, lib. 1. & 2. & Afrum lib. 4. vt postea subiungemus. Talis est apud Terentium in Eunuchothraaso, vt etiam Suffenus apud Catullum. Huc refer adagium, *Callipides*.

III.

*IGNAVI serui* nullam ad operam vtilis, Ordo est talis: *Fabula prisca fuit*, id est, antiqui fabulati sunt. *ardeolam stellarem*, id est, auem illam asteriam vocatam à fulgore astrorū. *effingere serui ignaui* & *studia* & *mores*: tarda enim est auis, Hispanis *Garrula* dicta.

*Ardea.*

*Ardeolam stellaram*] Aristoteles lib. 9. c. 1. de histor. animal. Ardeolarum tria sunt genera, Pella, Alba, Stellaris, piger cognominatus. Quae verba transtulit Plinius lib. 10. cap. 60. iniquens: Ardeolarum tria genera sunt, Leucon, ab albedine; Asterias, ab astrorum fulgore per similitudinem dicta; & Pello, quia non ita in altum volat, *alios enim propè sonat*.

*Fabula prisca*] Aristoteles supra citatus lib. 9. cap. 18.

*Fides sit penes historicos*] Eiusmodi est illud Sallustij è Iugurthino: Ceterum fides eius rei penes auctores erit.

*Degener hic veluti falco*] Hic, scilicet seruus, est veluti falco degener, qui ceuet in aere. Falconem degenerem vocat auem illam, quae in turribus nidificat, quam saepe pueri alunt pro accipitre ad aucupandos passerulos, Tinnanculus, Latine dicitur, Hispanè *Cernicalo*, German. *Vannenvaehel*. Haec auis al. quando durat in aere pendens leuiter commotis alis, nec dextera, nec laeva, ante; aut retrò, infra vel supra mouetur, quod hic Alciatus vocat ceuere.

*Cenaro.*

*Ceuere*] alas agit, & volare contendit. Cenere proprie est clunes mouere, obsecenam verbum, pertinens ad mares obscenè se morantes. Persius Satyra 1.

... *An Romule, ceuus?*

Iuuenalis 2.

*An te ceuentem, Sexte, verebor?*  
& Sat. 9. idem:

*Computat & ceuet, ponatur calculus.*

*Ardelio*] Ardelio est homo inquietus, huc atq; illuc semper volitans, saliens, manus iactans, togam modò deiiciens, modò

reponens, & omnibus negotijs sese immiscens. Vnde rectè à Germanis dicitur, *Hac in allen gassen*. Quid sit ardelio nemo melius docet Martiale lib. 2. his verbis:

*Declamas bellè, causas agis, Attale, bellè,*  
*Historias bellas, carmina bella facis.*

*Componis bellè mimos, epigrammata bellè:*  
*Bellus es Grammaticus, bellus es Astrologus.*

*Et belle cantas, & saltas, Attale, bellè?*  
*Bellus es arte lyra, bellus es arte pila.*

*Nil bene cum facias, facis autamen omnia bellè.*

*Via dicam quid sis? magnus es ardelio?*  
De eodem Attalo idem lib. 1.

*Semper agis causas, et res agis, Attale, semper,*  
*Est, non est, quae agas, Attale, semper agis.*

*Si res, & causa desunt, agis, Attale, mulas,*  
*Attale, ne quod agas desit, agas animam.*

Idem Martialis lib. 4. deridens seueum Afrum sic ait:

*Codita cum tibi sit iam sexagesima messis,*  
*Et facies multo splendeat alba pilo;*

*Discurris tota vagus vrbe, nec vltia cathedra est,*

*Cui non mande feras irrequietus, Aue,*  
*Et sine te nulli fas est prodire Tribuno,*

*Non caret officio Consul uterq; tuo.*  
*Et sacro decies repetis palatia cliuo,*

*† Saturiosq; modos, Partheniosq; sonas. † Sigerios-*  
*Hac faciant sanè iuuenes, deformius, Afer, que.*

*Omnino nihil est ardelione sene.*  
Phædrus elegantissimus fabulator sic:

*Est ardelionum quadam Roma natio,*  
*Trepidè concursans, occupata in ocio,*

*Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,*  
*Sibi molesta, & alijs odiosissima.*

ANTE QVAM veniam ad intentionem huius carminis, lubet paulum expatiari, non tamen vt omnino volitem praeter calam, quod aiunt, sed vt à thesi ad hypothefim, quod praecipiant Rhetores, facilius me recipiam. Quia enim id omnino

IV.

Ar cōsul

tum vn-

rijs flu-

dijs occu-

pari-

esse natura comparatum, vt nemo sit reper-

tus haecenus ingenio adeo felici, naturaeq;

bonitate praestans, vt plurius artibus ad-

ditus, multum promoueat: Rei enim v-

nius studium, facultas vna, & negotium a-

lioqui serium, totum hominem requirit: quodq; de cibis Medici solent praeterbe-

*Falco degener.**Ardelio quid.*

re, itidem in ingeniis prudentes homines diligenter esse cavendum præcipiunt, adeo nullus est ita valenti stomacho, quin sibi permultum noccat, si multiplici & confusa, immoderataq; ciborum copia ventriculū sabarrate malit, & corpus onustura reddere, quod ait Horatius, quàm medicis & necessariis epulis valetudini cōsulere. Sic qui pluribus & variis studiis vno eodemq; tempore ingenium onerat, seipsum quidem ad tempus videtur reficere varietate rerum: sed interea tamen non modò nihil inde lucri capit, sed memoriā obtundit, aciemq; ingenii debilitat. Aliquis fortè mihi Caronē Porcium obiecit, quem summum hominem fuisse memorant historici: nempe is summus Imperator, summus orator, summusq; Iuriscoconsultus à quibusdam elogio magifico celebratus. Si tamen conferatur cum quibusdam aliis vel Græcis, vel Romanis, qui superiore aut inferiore seculo floruerunt, longè aliud sentiendum erit: fuit. n. M. Cæto Aquilio Gallo multò inferior, si illius in iure peritia cum huius doctrina veniat in certamen. In oratorio munere ac facultate dicendi neq; Lucium Crassum, Marcumve Antonium, neq; Hortensium, aut Ciceronem superavit. Iam verò in disciplina belli non est cum C. Cæsare comparandus, aut aliis certè multis, quos Resp. Romana olim laudatissimos aluit. Idem iudicium de cæteris, nam & Plato relictis artibus leuioribus, se totum philosophiæ consecravit: & Demosthenes cum se glorie daret, relictis philosophia, in qua non parum profecerat, eloquentiam est amplexatus. Et quidem viri illi magui in id videntur incubuisse, ut vnam disciplinam sibi ornātam & excolendam proponerēt, ad eamque vnam suam omnino studium reuocarent. Ita qui excellere aliis & antestare, aut aliqua in laude esse volet, procul abesse debet ab illo *πολυμαθίας* immoderato studio, quæ *ἀμαθίας* se penumero inducit. Statuo itaq; cum Seneca: Certis ingenij immortalari & immutari oportere: nullam esse qui vbiq; est. In peregrinatione agentibus hoc euenire, ut multa hospicia habeant, nullas amicitias: idem accidat est necesse ijs, qui nullius ingenio familiariter se applicant, sed omnia cursim & propèterter transmittunt. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remedium sibi muta-

tio. Non conualefcit planta, quæ sapius transfertur, &c. Sed iam satis lesimus. Veniamus ad ipsum Emblemata. Susceptum est in ardeliones, vanosq; ostentatores, quo hominum genere nullum aliud impudentius aut inutilius; quandoquidem se omnia tenere, & ad vnguem nosse profiteantur, cum tamen reuera in ijs præter iactantiam & importunam loquacitatem inuicias nihil. Sed lubet paucis in eiusmodi Thraones inuchi, quòd omnia sibi tam temerè vendicent, tam nulla fronte arrogant, ut si cum alijs (quod fit sæpiusculè)

*Ardelionum sua dia taxatur.*

*Excursus in ardeliones.*

*Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas Pulsari.*

Quam enim ex omnibus artem aut disciplinā adduxeris in medium, cuius se imperitos non negent? Quid tam recòditum & obscurum in rerum arcanis esse potest, quod illi sua industria, miraq; ingenij solertia non sint exactè complexi? Tanta est horum hominum tam malè seriatorum impudentia, tamque insolens proteritia, ut cum oculos, quod aiūt, cornicum aut sint configere, nemini debeat esse mirum, si de rebus, quas minimè compertas habent, cōtra omnium sententia & iudicia pronuncient audacius, & plus quàm par est, iniquius. Tum enim videas eos suam opinionem elato supercilio tueri accuratius, sic ut periculum sit, si coneris eos de causa deicere, ne sua efferata licètia in te impotentius seuiant quàm velles, acrius inuehantur, suaq; Stentorea & vocalissima loquentia te tuasq; rationes inuidiosè traducāt apud imperitū vulgus, tibi omnem respondendi libertatem eximant. Si verò sit questio de litteris, quæ ad humanitatem pertinent, quas vel primoribus tantum labris degustarint, aut tibi tacendum, aut si penitus auscultare nolis, colloquendum est raritas, coq; pacto ut non vsipiam te quicquam resellere posse videre. Si quid de Iurisprudètia fortè dicendum sit, tum bellè suo more excurrent. Nunquam, iniquent, veteres exactè disciplinam legum sunt interpretati, aut, Farragines sunt glossarum intollerabiles, aut, Inter se mirabiliter pugnant, aut aliquid aliud eiusmodi. Si de arte medica sermo est, Numquam tā concinnè, tamq; opportunè (si modò fidè illis habeas) Galenus aut Hippocrates. Si de astrorum scientia, quid? Hoc lippis & solum-

*Ardelionum antipantia.*

solum-

consonibus esse notissimum contendunt, nempe vt diligenti hac & bene prouida cautione propriam incertitiam tegant. At si ad Theologia reconditoris arcana deuenient dum sit, aperient statim, quid iuris habeant in ijs excutiendis: solertes se esse fingent, sudabunt nitendo, neq; tamen hilum proficient, & abundè fatagent, nihil agent tamen. Nec est quod Philosophiam commemorem. Illi enim nihil uesciunt, qui tam feruè per omnem disciplinarum circulum peruolitarunt, vt eorum iudicio vel ipse Plato cæcutiat, Aristoteles ineptiat, Cicero garrat, Aquinas deliret, & Periparetici omnes miserabiliter errent. Adèd sunt in omni disciplinarum genere exercitatissimi, vt, contra Socratis institutum & mentem, hoc tantum sciant, quòd omnia sciant: quin potius hoc tantum nesciunt, quòd omnia ignorent. Ac si tam multa sciant, mirum est ma-

ximè, quòd se nesciunt. Si enim vel quadam ex parte sciret, quid illud sit, *γνῶσις σκωπτῶν*, iam pridem perspexissent sapientiæ aditum cuius obuium & patentem esse non posse, nisi cùm aliquid se ignorare norit: aut si quid sciat, non oportere eo fastu intumescere, vt nullum alium scire meliùs posse & absolutius audeat existimare. Sed missos faciamus eiusmodi *πολυσφάγγυον*, vereor enim ne vehementius in rei literariæ ardeliones inuehar, & specialius id conferre videat in Sophistas quosdam iactabundos, nihilq; nõ tentantes: quòd quidem tamen in genere video intelligi de ijs posse, qui suam operam & studium collocant in varijs & multiplicibus vno eodem que tempore tentatis negotijs, quæ certè aggredi possunt illi satis audacter & anxie, perficere verò constanter minime possunt.

## Auaritia.

## EMBLEMA LXXXV.

